



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmando ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

11. Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

Paulus fecit per externam Euangeliū prædicationem. Ait enim : Seruio Deo in spiritu meo in Euangeliū eius : id est, per prædicationem Euangeliū eius, mihi concreditam. Sic illud ^{Ioan. 4.} Christi, Deus adorari vult in spiritu & veritate, intelligendum est etiam de operibus pietatis externis & cultu externo cum animi pietate interna cōiunctis, quibus Deo seruitur. Certè si Euangeliū prædicando cultus Deo gratius & pretiosus Deo impenditur (quod hic Caluinus ipse obseruauit) negari non debet, in omnibus operibus pietatis cultum Deo gratum impendi.

ii. Ut aliquid impertiar vobis gratia spirituālis ad confirmandos vos.

Obseruāt ad hæc verba Patres (quod & obseruari potest contra hæreticos, qui Petrum Romæ prædicasse contra omnem Antiquitatis consensum pertinaciter negant;) ideo Paulum de confirmandis Romanis loqui, quia antea per Petrum ad fidem conuersi fuerant. Sic commentarij in Paulum apud Hieronymum, qui Sedulij esse videntur : Romanos ex Petri prædicatione fidem tenuentes, confirmare se velle Paulus dicit : non quod minus accepissent à Petro, sed ut duobus Apostolis attestantibus eorum corroboraretur fides. Idē scribit Chrysostomus homil. 2. in hanc epistolam, & Theodoretus in cap. 16. ad Romanos.

A 4

16. Vir-